

Q. N.  
385  
16.

II n  
1466

SPECIMEN  
DISSERTATIONIS HISTORICAE,  
DE  
PRISCÆ GERMANIÆ  
POPULIS,  
AB  
HISTORICORUM QVORUNDAM  
OPPROBRIIS  
VINDICATIS,

QVAM  
PRÆSIDE  
M. GEORG. Schrenfr. BEHRNAUERO,  
GYMNAS. BUD. RECTORE.

D. MART. AN. MDCCCXXII.  
HOR. VIII. MATUTIN.  
COMMILITONUM ΣΥΖΗΤΗΣΕΙ  
SUBJICIT

F. G. A. de WARNSDORFF,  
EQV. LUSAT.

---

BUDISSÆ, LITERIS RICHTERIANIS.

99





**VIRO**  
ANTIQUITATIS GENERE, VIRTUTIS  
AC MERITORUM GLORIA  
PERILLUSTRI ET GENEROSIS-  
SIMO  
**DOMINO**  
**DOM. CHRISTIANO**  
**LUDOVICO**  
DE *Sersdorf*,  
DYNASTÆ in *Glossen, Schöps &c.*  
SERENISSIMO POLONIARUM  
REGI ET ELECTORI SAXONIÆ A CONSILIIIS,  
SUPERIORISQUE LUSATIÆ SENIORI  
LONGE GRAVISSIMO,  
PATRONO AC MÆCENATI  
SUO OMNI MENTIS RELIGIONE  
COLENDISSIMO,  
HAS QVAESCUNQUE STUDIORUM  
SUORUM PRIMITIAS  
D. D. D.  
F. G. A. DE WARNSDORFF,  
EQV. LUS.




On auderem, VIR GENE-  
ROSISIME! levissimæ  
huic Dissertatiunculæ IL-  
LUSTRE TUUM NO-  
MEN præponere, nisi in  
TE IPSO invenissem, quod me ab auda-  
ciæ suspicione videbatur posse asserere.  
Constat enim inter omnes, quantus esse so-  
leas HERCULES MUSAGETA, litera-  
rumque ac artium ingenuarum Assertor,  
ut, qui modocunque ad eas adspirant, fo-  
veas non modo, sed ornes etiam, & quan-  
tum potes (potes autem longe plurimum)  
& ope & consilio adjuves. IPSE enim  
non contentus minusculis illis, ut ita dicam,  
Musarum sacris, in earum ΕΠΟΗΤΕΙΑΝ quasi  
penetraſti, omnesque literarum interio-  
rum obstrufos finus & recessus exploratos  
haves. Quare itaque non IN SINUM  
TUUM hanc qualem qualem opellam de-  
mit-

mitterem, quum diu jam cognitum habeam  
atque perspectum, TE ea omnia, quæ à  
Musis modo proveniunt, serena accipere  
fronte, eaque, quæ aliquando minus recte  
suscipiunt, pro benevola TUA benignaque  
in omnes natura, in optimam interpretari  
solere partem. Accedit, quod ego in pri-  
mum, non sine animi lætantis sensu eorum  
recorder, quæ tenerrimæ mihi adhuc æta-  
tis puero contigerūt. Intra parietes enim æ-  
dium TUARUM, TUOQVE sub auspicio  
eruditissimo, prima literarum fundamen-  
ta ponere à benigna fortuna mihi fuit in-  
dultum. Id quod non minimum beatitatis  
meæ argumentum interpretor, nec un-  
quam, quantum in me beneficii tum con-  
tuleris, gratus hospes, ego ex ani-  
mo meo elabi patiar. Quæ cum ita sint  
fœdæ sane oblivionis TUORUM in me  
meritorum notam nunquam ego absterge-  
re possem, TU vero posses jure queri, TE

male collocasse, quæ mihi tulisti expense,  
nisi omnes arripere vellem occasiones gra-  
tum meum ac devinctum animum TIBI  
testandi. Jure itaque meritoque ILLI pri-  
mitias operæ meæ, huc usque in liberaliori-  
bus artibus navatæ, vovere mihi videor at-  
que dicare, quo auspicante prima Musis  
libavi sacrificia. Lætatur me interea certis-  
sima spes, fore, ut tenue hoc ac leve mu-  
nusculum non ex sui dignitate, sed ex offe-  
rentis potius voluntate judices. Quod re-  
stat, vota pro TUA integerrima salute ac  
valetudine ad DEum T. & M. mitto arden-  
tissima, precatus, ut florentissimam semper  
rerum Tuarum Domusque Generosissi-  
mæ fortunam præstet. Vale; PATRO-  
NE, & si dignus fuero, me ama. Scri-  
bebam Budissæ è Musæo ad d. 6.

Mart. cio MCCXXIII.

I. N. J.



## I: N. J.

### §. 1.

**V**Ere admodum digneque de Majoribus nostris Vir insignis, ac de Germanorum Historia longe meritissimus HERTIUS in Notitia Veteris Germaniæ Populorum Giss. Hassorum 1709. ed. p. 1. inquit: *Non sane Majores nostri tales fuerunt, quorum pude- dere debeamus, imo mores eorum & instituta in quam multis me- lius se habuere, quam illorum populorum, qui de cultura maxime gloriabantur, & ipsos aliosque populos barbarorum vocabulo insi- gniebant.*

### §. 2.

Neque tamen, quod dolendum, ad res suas memoriæ prodendas unquam animum suum appulerunt Germanorum Veteres. Bellis enim plerumque occupati, temporis præcipuam partem tribuebant armis, & siquid, præterquam ipsi consve- verant, literis consignabant, Carminibus saltem illud manda- bant, quorum tamen vix ullas tabulas ex infelicissimo longæ  
bar-



barbariei naufragio ad nostra usque tempora servatas fuisse contra OLAUM RUDBECKIUM, AVENTINUM, atque CRANTZIUM cum Viro Celeberrimo JUSTO CHRISTOPHORO DITHMARO in Dissert. de Veterum Germaniæ Scriptorum defectu §. 6. p. 17. affirmare nulli dubitamus. Hinc factum omnino opinamur, ut quicquid de Prisca Germania, ejusque populorum moribus nobis adhuc innotescit, id omne GRÆCIS pariter atque ROMANIS acceptum ferre nos oporteat Scriporibus, quos in unum Volumen acris ingenii Vir, indefessi studii, plurimæque doctrinæ HERMANNUS CONRINGIUS, præcipuo posterorum commodo, congestos exhibuit.

§. III.

Tantum vero abest, ut jurati veluti hi nominis Germanici hostes facta eorum moresque sine livore describere, odiumque suum, quod in Majores nostros conceperant, dissimulare potuerint, ut potius exacerbatae mentis indicia ex quibusvis fere lineolis erumpant. Non itaque est cur miremur, quod si plena propemodum foedisimarum criminationum plaustra in Majores nostros eos effudisse intelligimus, adeo ut illos *Atheos, Latrones, Mendaces, Perfidos, Pigros, Truces, Feros, Heluones, Superbos, omniumque literarum ignaros, verbo;* homines vix ullius nominis fideique fuisse publicæ confiteri non erubuerint.

§. IV.

Atq; ut inde quidem ordiamur, unde omnis vituperii quasi exordia capessunt, parum profecto abest, quin sagatus ille ceteroquin togatusque Heros JULIUS CÆSAR adeo barbaram gentem nostratam olim exstitisse arbitretur, ut nullum propemodum de Deo eandem habuisse sensum, omnibus, qui scripta ejus legunt, persuasum ire videatur. Ecquid enim aliud sibi vult Scriptor, præter hæc gravissimus, quando L. VI. c. 21. de B.G. adeo



adeo omnis religionis laudem priscae Germaniae incolis denegat, ut nec *Druides habuisse, rerum divinarum praefectos, nec sacrificiis studuisse, nec Deorum numero habuisse quenquam*, dicat, quam eos quos viderint, quorumque ope aperte fuerint adjuti. Cujus si vere possent rei accusari, non certe video, quam ab Atheismi suspitione illi quidem liberi esse queant. Idem enim ut alios taceam, ex his CÆSARIS verbis non frustra sibi collegisse visus est, Vir veræ laudis perennitate dignissimus HECTOR GOTHOFREDUS MASIUS in *Schediasmat. de Diis Obotritis præcipue Radegastocum not.* ANDREÆ BORRICHII *Hafn.* 1668. 8. ed. cap. 1. ubi ab hoc Atheismi crimine Germanos contra JUL. CÆS. defendere asserereque non dubitavit.

§. V.

Nos vero, ut ut Majores nostrates ab omni superstitione plane immunes præstare non audeamus, nec, quod Celebrerrimus CALVOERUS in *Infer. Saxon.* suspicari videtur, aliquam SS. Trinitatis notitiam ad eos pervenisse facile affirmemus: Id tamen validissimis corroborari posse argumentis nobis videmur, inter Gentiles fere vix fuisse ullos, quorum mentes veriori de Deo sensu, quam quidem Germanorum, fuerint imbutæ: Cujus rei indicium esse potest, quod

1) Saniolem longe de Deo, quam ceteræ fere omnes gentes opinionem habuerint. Nunquam enim fœdislima populorum superstitione, cum quibus tamen ipsis per plurimum ætatis suæ partem conflictandum erat, inquinari se passi sunt, nunquam pravo Romanorum exemplo correpti, in morem eorum, quippe qui omnium exterarum nationum, cum quibus bella gerebant, Deos, Romam ductos, in suorum numerum adsciverunt, imaginem Deo similem effinxerunt, ficta ejusmodi manique facta idolo religiose colentes. Id enim longe indignis-

B

mum

num divina Majestate putabant, hinc quoque *TACITUS* d. M. G. c. XI. de iis inquit: *Ceterum nec cohibere parietibus Deos neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine celestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.* Satis quippe perspectum habebant atque cognitum divini illi homines, uti *JO. HENR. HAGELGANS* Gymnasii Coburgensis Professor in *Diff. de Prisca Germanorum aetate* eos adpellat, Dei, cujus Spiritus ac Numen ubique diffusum, abesse nunquam potest, semper & ubique imaginem supervacuam esse, cum nemo sanæ mentis imaginem Deo similem audeat effingere.

2) Quod Deos (utinam verum Deum! quamvis & hunc coluisse Teutones, opinatur *CLUVERUS*, teste *TENZELIO*, ipsam enim *CLUVERI GERMANIAM ANTIQVAM*, quod doleo, evolvere mihi hac vice non licuit) pie religioseq; coluerint. Moris enim apud Germanos fuit, ut cum hoste conflicturi antequam utrinque cecinissent signa, ad Deorum cultum se converterent, omnemque aciem Deo alicui dicarent consecrarentque. Quis vero Atheismi postularet reos, qui res suas ad Numen aliud religiose adeo referre consueverant? Accedit quod

3) Veritati aperte contradicant, quæ de Germanorum hac impietate Cæsar tradit: Præstat enim fidem habere *TACITO*, qui utut *CÆSARI*, sæculo fere posterior sit, ea tamen ætate vixit, ubi res Germanicæ longe magis erant perspectæ. Hic vero tantum abest, ut cum Romanorum isto Heroe congruat, ut potius de German. religione sacerdotibus, sacrisque publicis de M. G. cap. VII. ac XI. multa plane egregia posteritati reliquerit. Adhæc quoque *DIOGENES LAERTIUS* in præmio *DRUIDES* Germanorum genti fuisse expresse fatetur. Et certe si paulo  
accu-

accuratori mentis trutina perpendamus, quæ Cæsar *L. VI. de B. G. c. 13.* de Gallorum DRUIDIBUS prolixè commemorat, sole meridiano clarius apparebit, apprime ea omnia convenire cum iis, quæ TACITUS de Sacerdotibus Germanorum *C. VII. & XI. de M. G.* recensuit. Quæ quidem facili hic negotio inter se conciliare possemus, nisi chartæ & tempori parcendum esset; Ceterum evolvi merentur, quæ habet Celeb. DITHMARS I. c. p. 11. Ut taceam, quæ in hanc materiam satis libere tradiderunt Viri Celeberrimi ESALAS PUFENDORFFIUS, atque SAMUEL SCHURTZFLEISCHIUS in dissert. de DRUIDIBUS, & nuperime saltem supra laudatus CASP. CALVOERUS I. c. P. I. L. II c. III. & IV. Tandem

4) Libere fatendum est, quod CÆSAR, qui primus Romanorum, LIV. fere annis prius quam Christus natus est, Rhenum transiit, sed nec adeo diu ibi moratus, nec in ulteriorem Germaniam penetrans, divinum Cultum religionemque Germanorum vel per transennam saltem inspexerit, ut certi quid inde ad nos perferre ipsi vix licuerit.

#### §. VI.

Præter impietatis vero ac Atheismi suspensionem *Latrocinii* quoque crimine Historicorum nonnulli Veterem Germaniæ gentem incusarunt. Ubi enim nullus de Deo sensus, ibi etiam nullus erga Proximum amor locum obtinet. Hinc idem CÆSAR. *L. IV. B. G. & L. VI.* nec non MELA. *L. III. de situ Orbis,* ac TACITUS de *M. G. c. XIV. §. 7.* alique Majores nostros ad prædandi latrocinandique infamiam totos propendisse testantur, adeo, ut rapinis quasi natos ne pudor quidem ullus ideo occupaverit. Verum, etsi, ab ista prædas venandi cupiditate totos alienos fuisse eos, non facile dixerim: Attamen



1) á Romanis faltem crimen istud Germanis exprobrari non poterat. Quod enim in hoste atro carbone notabant, ejus ipsos reos fuisse, quem, nisi omnium historiarum plane exper-tem, atque ignarum, unquam latebit? Hinc quoque Numanus apud Virgilium IX. Æneid. v. 612. de suis canit:

semperque recentes

Convectare juvat prædas, & vivere rapto.

Et, si ad Romanorum antiquissima tempora respicere fas est, ecquid aliud isti quidem, quam fœda quædam latronum colluvies ad infame, ut Juvenalis Sat. 8. vocat, asylum collecta? de quo plura vide apud EUTROPIUM in Romulo & NUMA. Quid SABINARUM raptus aliud erat, quam turpissimum plagium omni latrocinio longe pejus. Quod, si vel necessitas etiam, quæ extra limites non raro vagatur, quodammodo excusaret, latrocinandi tamen studium adeo & subsequenti tempore occupasse legimus Romanos, ut ex POLYBIO L. III. f. 179. aperte satis doceamur, quod Carthaginensi fœdere indictum Romanis fuerit, ultra MASTIAM & TARSEJUM prædatum ne excurrerent, *μη ληΐζεισθαι.*

2) Ipsum Tacitum, id vitii genus non omnibus Germanis commune fuisse fateri oportet. Ita enim C. 25. §. 4. de M. G. de Chaucis inquit: *Chauci populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit justitia tueri. Sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrocinis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quod ut Superiores agant, non per injurias assequuntur.*

3) Quod si tandem etiam Germani hoc proprium virtutis existimaverint, expulsos agris finitimos cedere, latisfimeque latrocinari, recte tamen doctissimus HERTIUS l. c. C. II. §. 1. pag.

23. eos aliorum populorum excusari posse exemplo opinatur. Id enim tunc solenne omnibus gentibus fuisse atque commune præter GROTIUM L. ll. de Veritat. Relig. Christianæ §. 12. n. 6. in not. & L. ll. de Jure B. & P. c. XV. §. 2. & eruditissimus Auctor Observat. VI. & VII. Observation. Halensium T. VII. libere fatis & prolixè docuit. Erat namque aliquis veluti populorum tunc mutuus, in ista re, consensus, ut parum absit, quin hæc ipsa latrocinia aliquam belli speciem habuisse adfirmemus, quod forte piratarum hodie exemplo possit illustrari. Hinc non Germani solum, verum omnes propemodum gentes, sine ullius criminis opprobrio latrocinia fieri credebant, adeo ut tanquam gloriosum vitæ genus non agricultura modo curisque domesticis ea anteferrent, sed DEOS ipsos LATROCINIORUM PATRONOS crederent, quos ardentissimis precibus implorabant prædaturi, quemadmodum in DEORUM gentilium cognomentis reperimus JOVEM ΔΗΙΣΤΟΡΑ, ΔΑΦΥΣΤΙΟΝ, ΜΙΝΕΡVΑΜ ΔΗΙΤΙΔΑ ΜΕΡCΥΡΙΟΝ ΔΗΙΣΤΗΡΑ teste GYRALDO Synt. l. X. 86. lX. f. 287. XI. 335. & 340. Quæ omnia tamen non eum in finem à me adducuntur, ac si cum THOMA HOBBSIO de Civ. c. V. n. 2. p. 79. λεγειν illam contra legem naturæ non fuisse statuam, sed ut inde saltem pateat 1) non solis Germanis rite exprobrari, quod fere commune erat, 2) ut quisque videat, non adeo cum quadam infamiæ suspitione hoc vitio teneri Majores, cum gentium, qui tunc obtinebat, consensus, illud omnino emolliat; Quid? ut 3) evincam, non tam alteri vim intulisse olim Germanos prædones, quam, quæ ipsis imminebat, præoccupasse, cum verendum esset, ne si vicinorum opes infringerent, ipsi brevi ab iis lacefferentur, nec ab eorum insultibus tuti essent, quorum quippe insidias scèpius erant experti, hinc vim vi saltem propulisse quasi censentur.

## §. VII.

Sicuti vero nulla plane latronum solet esse fides: ita factum est, ut Germana gens, quæ solo cordis animique candore censeatur, mendacissima inde, sine ulla fide, & deditum mendacio genus quibusdam diceretur. JULIUS CÆSAR, Germanos *Perfidios & Simulatores* appellat VELLEJUS PATERCULUS Hist. c. 18. *eos in summa feritate versutissimos natumque mendacio genus esse dixit*, STRABO L. VII. Geograph. *adversus Germanos*, inquit: *plurimum utilitatis in incredulitate esse; illos, quibus fides habita sit, maxima damna intulisse.* Verum enimvero hæc odio in hostes tribuenda esse facile quisque videt, siquidem

1) Ipse JULIUS CÆSAR sibi contradicere videtur, quando de VOLCIS TECTOSAGIBUS Germanica quadam gente L. VI. c. 24. de B. G. ita scribit: *quæ gens, ad hoc tempus iis scdibus se continet, summamque habet justitiæ opinionem.*

2. TACITO teste L. XIII. Annal. C. LIV. §. 5. Principes Frisiorum de Germanorum fide certi, eandem publice deprædicabant, Romæ enim Theatrum conscendentes alta exclamabant voce: NULLOS MORTALIUM, ARMIS AUT FIDE, ANTE GERMANOS ESSE.

3) Fidei sane candorisque Germanorum contra JULII CÆSARIS aliorumque criminationes satis testimonii esse potest, quod ipsi Romanorum Imperatores Germanos præcipue armigeros circa se habuerint. Hoc namque de AUGUSTO affirmat SVETONIUS in Aug. c. 41. de NERONE TACITUS XV. Annal. c. 58. nec non XIII. annal. c. 18. Et CARACALLA Germanorum fide fretus, validissimum quemque eorum & pulcherrimum custodes corporis sui adscivit HERODIANO teste L. IV. Hist. 7. An vero vitæ suæ custodes elegisse sibi tantos Principes verisimile est, quos adeo sublestæ fidei homunciones esse constabat?

4) Ob-

4. Obstat quoque opprobrio isti perfidiæ, tritum illud ac ab antiquissimis inde temporibus cognitum proverbium *ein Wort/ ein Wort/ ein Mann/ ein Mann/ auf gut Teutsch*: quod ex magna Germanorum sinceritate ac fide ortum, candoris laude præcipue eos inclaruisse innuit, quam apud eos tantam fuisse novimus, ut antiquo ac Germana fide agere idem sit ac absque ullo fūco agere, minimeque nigrum ac fallacem esse.

5) Quem præterea, nisi ab omni historiarum notitia alienissimum latet, quam de SAXONIBUS quondam FRANCISQUE præcipue dictum fuerit, *plus valuisse apud eos promittere, quam alibi jurare?*  
§. VIII.

Vulgare tandem & quasi proprium Germanorum vitium *Ebriositatem insanamque potandi ac debacchandi dulcedinem* illis objiciunt Historici: eos POTATORES maximos, COMBIBONES, HELUONESque appellantes; de quo probro TACITUS de M.G. c. XXII. & XXIII. plura profert, quam quæ hic inferi possint. Præterea & PAUSANIAS ac CASSIODORUS diem noctemque potando eos continuasse per æque testantur. Enimvero ut ut fitis intolerantia in opprobrium nunquam non Germanis cesserit, non tamen deesse opinamur, in quo excusentur. Non enim est

1) Ut Homo ROMANUS GRÆCUSque comessandi consuetudinem roremque Liberi largius haustum tantopere Germanis exprobrare velit. Quod enim Græcos attinet, quis nescit in proverbium fere jam olim abiisse, ut qui Baccho nimium libarent GRÆCARUM ac PER GRÆCARUM dicerentur, quod omnibus sane indicio esse potest, quam perpotandi cacoëthes totam fere Græciam quondam pervaserit. An itaque nostratibus objecerint vitium, quo ipsi toti obfati erant? Et quid de Romanis dicam? Nemo sane est, quem ipsorum Convivia, in seram usque noctem protracta, lateant. *Juvenali* saltem hæc suppeditarunt ansam

Ro-

Romanorum temulentiam pungendi, cum non nocturno tempore, quo omnes ad pocula vigilarent, sed interdum cum ex crapula *μεσιμβραλέιν* illi solerent, Romam facile hostibus patere, non sine sale diceret. Et quam horrenda plane *PLINIUS* Homo itidem *Romanos* & *TACITO* *σύνχερον* de gentis suæ ebriositate L. XIV. Hist. Nat. c. XXII. prodidit? Prolixiora sunt, quam ut hic ea possim transcribere, nec tamen temperare mihi possum, quin pauca inde delibem: *Nos* inquit *Romani*, *vinum bibere* & *imenta cogimus*, ac magna pars (nostrorum) non aliud vitæ præmium intelligit. Quin imo, ut plus capiamus sacco franguntur vires, & alia irritamenta excogitantur. Nudi multi & anhelii (cum nec tunicam expectare possint) ingentia vasa corripunt; velut ad ostentationem virium ac plene infundunt, ut statim evomant, rursusque hauriant, idque iterum tertioque tanquam ad perdenda vina geniti, & tanquam effundi illa non possint, nisi per humanum corpus. An pejora, Germanorumque nomine indigniora de Majoribus nostris consignata uspiam legimus? Quare nostratibus itaque in vitio ponunt, à quo ipsi tamen adeo parum immunes reperiuntur?

2) Qui Germanorum populo non bene cupiebant Romani, ex moribus servorum forsàn, de gente olim nostra captorum, ad universæ gentis nostratis consuetudinem collegisse videntur. Quis vero sanæ mentis hunc inferendi modum probaverit? Ridemus adhuc omnes *BOUHOUSIUM*, quod in Dialogis suis, Germanis ideo perpotandi probrum affricare conatus sit, quod nonnullos eorum ejus vitii reos viderit. Paria fecisse olim propemodum Romani censendi sunt. Ast ita si colligere fas est, nulla sane hominum natio erit, quæ non gravissimis vitiis, sceleribus, ac flagitiis inculari possit. Quæ enim est tandem gens, ubi vitia non in individuis dominantur? An inde verò ad omnem gentem argumentari nobis licebit?

3) Ipse



3) Ipse TACITUS sibi contradicere videtur, dum *castitatis laudem* Germanis non invidet, & tamen *luxoriosos & heluones* eos fuisse fabulatur. Diverſa ſane hæc ſunt, nec, quomodo in una gente convenient, video. Hinc Illuſtr. THOMASIVS ad Monzamb. de ſtatu Imp. Germ. c. VII. non fruſtra ridet TACITUM inſiquens: *Caſtitaſ indivulſo nexu ſobrietati juncta eſt; mores itaque noſtros deſcripſit Tacituſ, non Germanorum illiuſ ævi.*

4) Quum præterea magna Majoribus noſtris continencia fuerit in cibis, haud temere quoque aliquiſ inde ad potulenta forſan collegerit. Priuſ ipſe TACITUS non diſſimulat inſiquens d. M. G. c. 23. *Cibi ſimplices. agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum, ſine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem.* Id quod ante Tacitum jam docuit JULIUS CÆſAR L. IV. c. 1. & L. VI. C. XXII. de B. G. Poſteriuſ autem, quamvis in dubium vocari poſſit, eo tamen uſque firmum manet, donec validiſſimis argumentis luculenter ſatis probatum fuerit contrarium.

5) Nec tandem deſunt Viri cordati, teſte DILLHERO l. c. pag. 24. in not. qui de accolis Rheni, Galliaë quippe tum temporis Romanorum imperio ſubjectæ, propinioriſ illud concedunt, cæteros vero remotiores ab iſta labe abſolvunt. Ex quo non fruſtra colligere licet, ſi potando aliquid valuerunt Germani, id vel ipſiſ Romanis vel ipſorum Vaſalliuſ, veluti ſuiſ, vitii huius, Magiſtriſ forte acceptum ferendum eſſe. Nec adeo temere hoc negaverit, qui Germanorum gentem alioſ quoque Romanorum mores imitatam fuiſſe ſecum reputaverit. Sic enim Tacituſ C. v. d. M. G. Teutoneſ aurea argenteaque vaſa, legatiſ muneri data, non in alia vilitate, quam quæ humo ſinguntur habuiſſe, interioſeque omni pecunia ſpreta, ſimpliciuſ & antiquiuſ permutacione merciuſ uſoſ fuiſſe, commemorat. Nihilotamen ſeciuſ, quum inſitioproximi ſaltem Galliaë accolæ ob uſum

C

com-

commerciorum aurum & argentum in pretio habuerint, mox totam quoque Germaniam hujus metalli possessione captam fuisse idem Tacitus c. XV. d. M. G. adfirmat.

6) Coronidis denique loco id adducam, quod illustris quondam GROTIUS in *Prolegom. ad Gothorum ac Vandalorum historiam* p. 19. pro Germanis attulit, *Ebrietatem, inquit, non novum Germanis vitium, accusat, Tacitus aliique. Non excuso: quanquam Plato hoc commune esse dixerit bellicosis gentibus, Scythas, Persas, Poenos, Hispanos, Thraces, nominans, quibus Indos addit Ælianus. Sed tamen huius culpe, in septentrionalibus populis, partem cælum sustinet, quod circumfuso frigore calorem penitus in corpora adigens cogit sitire.*

### §. IX.

Bibacitatis probrum excipit *Pigritia*, familiare *heluonibus* & voluptuosis vitium. Neque vero ab hoc immunes quondam fuisse perhibentur Germani. Ita namque idem TACITUS c. 15. de M. G. *Quoties bella non ineunt, multum temporis per otium transigunt, dediti somno ciboque, Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus & penatium & agrorum cura fœminis senibusque & infirmissimo cuique ex familia. Ipsi hebet miræ diversitate naturæ, cum iidem homines sic ament inertiam, & ode- rint quietem. Enimvero & hic obtinet; si accusasse satis est, quis insons erit? Adeo fane torpore correpti Germani non fuerunt, ut credidit TACITUS, quando à bellorum strepitu vacui erant. Recte enim*

1) Seneca l. de irac. II. *Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturque. Quid induratius ad omnem patientiam, ut quibus maxima ex parte non tegumenta corporis provisæ sunt, non suffugia adversus cæli rigorem. An itaque aliquis hunc maximum animi*

animi vigorem, hoc mentis robur, tantamque vim & agilitatem intra æternum aliquem lassumque soporem contineri & abjici posse unquam crediderit? Coge intra umbras solem, quam subito discussis tenebris erumpet? nunquam non enim in motu est. Tantum itaque abesse credimus, ut cum tam generosæ vivacisque mentis natura conveniat, vel unquam langvescere, ut potius ad omne otium fugiat, ad omnem langvorem nauseet rejiciatque, quicquid virtutem suam torpore vel intercepte vel subvertere plane potest.

3) Quem præterea latet, quam generosæ mentis suæ naturam vel inde etiam prodiderint Germani, ut, si à bellis vacui, non otio torperent, sed venationibus tempus potius fallerent. Hinc quoque ipse JUL. CÆS. LVI. de B. G. *omnem olim Germanorum vitam in venationibus atque in studiis rei militaris constituisse*, dicit. Quis itaque inter otia & inertiam eos consenuisse putaverit?

4) Pigririam denique magnas accessiones accipere à delicatiori quadam educatione, quisque, cui modo cor recte salit, mecum fatebitur. Quis vero nisi omnium literarum expertus hunc in modum Germanos adolevisse dixerit? Educationem enim eorum admodum asperam, paremque futuris tolerandis laboribus, fuisse, testantur omnes. Audiamus STRABONEM. L. III. Geogr. Hic enim Germanorum uxores intra virgulta plerumque infantes parere dicit; ubi vero foemina foetum sit enixa, non delicate eum fovere perhibet, sed foliis involutum, inter arbuta abscondere, laboremque suum in agro continuare. Nec subsecuta ætas mollior erat. Aristoteles in L. VII. Pol. cap. ult. ex paraphrasi DAN. HEINSII inquit: Prodest frigori ferendo advesferi Germanis à teneris, quippe cum ad sanitatem partim, partim ad obeunda militaria officia ea res conducatur plurimum.

## §. X.

Sed quid de BARBARIE tandem ac Germanorum feritate dicemus? Hæc enim illis quoque indigne adscribitur. Inde quippe factum esse credimus, ut EGESIPPUS eos IMMANES vocet, PLINIUS ac MELA TRUCES, FEROCES vero SIDONIUS. Facilis autem ad hæc opprobria responsio erit. Si enim

1) Immanem esse, (ut mitius interpretatur VADIANUS) idem est ac insignium virium esse, animoque ad arma cruoremque prompto, nos nullo modo refragabimur; Sin vero immanitas ac ferocitas vitii loco ponitur, merito ab eadem Majores nostras vindicamus; quia quod in illis ferum fuisse dicitur, virtutis fortitudinisque indicium fuit. An vero hanc cum feritate confundisse fas est? quæ se non in bello modo sed pace quoque exferi debet.

2) Quod feri adeo non fuerint, vel ex ipso jure hospitalitatis, Germanos inter longe sanctissimo, patet. Ut ut enim Majores nostri non Deum Hospitalem, non Jovem Xenium cum Romanis videntur coluisse; adeo tamen præter omnem feritatem boni mitesque erant in hospites, ut teste JUL. Cæsar. L. VI. de B. G. *eos violare nefas putarent, omnesque, qui ad eos qua de causa venerant, ab injuria prohiberent; iis omnium domus paterent, vitæque communicaretur.* Quin ipse TACITUS C. 21. d. M. G. *factetur, eos quemcunque mortalem arcere tecto nefas habuisse, pro fortuna quemcunque apparatus epulis excepisse, imo cum defecerit, qui modo hospes fuerat, proximum eum domum excepisse. Cum notum ignotumque ad jus hospitii nemo discreverit.* En! quam parum feritatis hic subsit, quæ enim austeritas in eorum habitare potest animis, qui amore pleni, erga omnes, ignotissimos quoque, tam humanos se præbent?

## §. XI.

§. XI.

Lusibus denique nimium indulgisse olim nostrates dicuntur. Ita enim TACITUS: *Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu de libertate & de corpore contendunt, victus voluntariam servitutem adit.* Non leve sane genti, quæ ad gloriam contendit, hoc opprobrium est. Sed respondemus

1) Cum B. DILLHERO l. c. p. 59. Non facile putaverim hanc per lusum libertatem perdingi consuetudinem omnium, sed levissimorum quorumque fuisse, quales etiam adhuc apud nos invenire liceat, qui ubi omnia defecerunt, temere membratim de omni vestitu, de tunica, de capillis, de barba, novissimo jactu contendunt.

2) Non male ad hæc TACITI verba Clar. HOHESEL in Dif- fert. de mercatu corporum humanorum, Lips. 1720. hab. §. XII. inquit: Philosophatur procul dubio ex moribus Romanorum TACITUS, quibus quæ non conveniunt, minus recta putat. Inde fit, ut aleæ lusum rem turpem appellet, cum tamen, pro- uti mihi libet aliquam pecuniæ summam donare, ita & nihil impediatur, ne eandem ei sub conditione: Si me ludendo vicerit, offeram. Equidem non approbo tantum ludendi prurimum, ut quis integros dies, omniaque bona sua, otiose huic occupati- oni impendat, & magno studio, summa cum molestia, pari pe- riculo nihil agat. Verum, si supponamus, quenquam Vete- rum Germanorum in summas angustias redactum, patrimo- nium suum omne inter ludos absumpsisse, (quo jure quave inju- ria nihil ad nos) quæro: An talis jure potuerit jam de ipso cor- pore & libertate contendere; constituto ab alio vicissim pre- tio, huic attemperato? Et omnino id affirmandum existimo, tum, quia licuisset illi gratis se perpetuis servitiis alterius adji- cere;

cere; tum quod illud ultimum remedium idque iustissimum erat ad summam inopiam & paupertatem evitandam, vel, sin inferior forte discessurus esset, alimenta tantum & quæ vitæ necessitas exigit, impetranda.

## §. XII.

Dicuntur denique Germani Veteres plane ἀγέματοι, omnium literarum expertes, barbari, nullisque imbuti studiis. Hujus namque probri incusare eos videtur TACITUS d. M. G. c. XIX. inquit: *Literarum secreta Viri pariter ac Fœmina ignorant.* Quæ, verba, si, uti sonant, accipere interpretarique velimus, aperte injurius in nostratam quondam nationem fuit TACITUS, siquidem longe jam ante ejus tempora scribendi ars inter Germanos innotuit. Namque

1) Non abs re arbitramur NOTAS, quas in fortibus suis adhibebant Germani, & quarum vel ipse TACITUS c. X. d. M. G. meminit, literas fuisse, cum hujus παβδομαστίας signa meros, nihilque significantes characteres fuisse, credibile non sit.

2) Quorsum aliter interpretaberis DRUIDUM, quos frustra negare allaborat Jul. Cæsar, famosum illum PENTAGONA, s. figuram quinquangularem, qua vocem ΓΕΙΑ exprimebant, & non infantum modo cunis, boni omnis causa, sed & calceis suis imprimebant, unde illud vulgare: *Der Drudden Fuß.* vid. Dithmar. l. c. p. 11. seqq.

3) Quid? quod literis scribendique arte carere non potuerint, cum ipse TACITUS Annal. ll. c. 63. eorum epistolas ad Romanos scriptas adducat.

4) Ut taceam, Helvetios atque Bojos rationaria sua literis græcis confecisse, adeo ut in Helvetiorum castris tabulas reperas fuisse, literis græcis signatas, & ad Cæsarem perlatas, ipse JUL. CÆS. L. I, de B. G. c. XXIX. testatur. Erat autem iniis  
no-

nominatim ratio confecta, qui numerus domo exiisset eorum, qui arma ferre possent, & qui denique domi remansissent.

5) Neque denique est, ut adeo *truncos, bardos bucconesque* Germanos quondam fuisse credamus, qui nullis plane artibus, nullis disciplinis tincti, omnem ingenii vim obsolescere, dixerim potius obbrutescere passi fuerint. Ab hac enim contumelia digne admodum eos vindicavit, contrariumque libere fatis docuit eruditissimus iste ac æternis in rem literariam meritis insignis REIMANNUS in hist. lit. L. II. Sect. I. à p. 1. usque ad 103.

§. XIII.

Plura tandem adducere per sane facile esset eorum, quæ in perpetuum Nominis Germanici dedecus temere excogitarunt eorum hostes, nisi verendum esset, Lectorem benevolam jam eorum, quæ adduximus satietate ad nauseam usque teneri. Piget namque profecto legisse apud SEXTUM EMPIRICUM Pyrrh. hypotyp. L. III. c. 24. vel Mascula etiam venere non abstinnisse nostros Majores, sed unum ex iis, quæ usu admodum inter illos recepta fuisse. An vero id per somnium saltem suspicari quis poterat, de tam casta & ab omni turpi amore alienissima gente, penes quam juxta TACITUM publicatæ pudicitia nulla erat venia? An verisimile id videbatur de iis, apud quos tantus pudicitia fuit honos, ut ante vigesimum annum foeminam notitiam habuisse in turpissimis haberetur, ipso Germanorum hoste JUL. CÆS. teste L. VI. B. G. An id criminis affricare quis vellet genti, de qua TACITUS *Severa*, inquit, *illis sunt matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris; nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis paucis, qui non libidine sed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur?* An hæc probra locum habent in iis, quibus vel ea etiam castitatis religio erat ac sanctitas, ut ad secundas modo descendisse nuptias non nisi

AK 77 n 1466 x 2380396

nisi libidinosa[m] mentis iudicium reputaretur. Quare, cum de hac foedisima venere mascula apud alias gentes frequente mentionem faceret QUINTILIANUS, Declamat. III. verius longe digniusque dicit: *Nihil tale novere Germani, & sanctius vivitur ad Oceanum.* Piget nec minus *jaçantiam* exprobrari veterum Germanorum populis à DIODORO SICULO, L. V. Biblioth. Sed ipsa vitæ integritas, quæ simplex erat, innocua, sine fuco, candida plane, & ad omnem fidem composita, adeo ut TACITUS dicat: *Plus ibi bonos mores valuisse, quam alibi bonas leges,* facile eos ab hac cæterisque criminationibus vindicabit, ut opus non habeamus, quo liberius nos eos defendere allaboremus.

s. XIV.


Colophonem itaque opellæ huic addimus, & quod superest, submisit precamur atque contendimus, ut in benignam has studiorum nostrorum primitias quisquis interpretetur partem, ætatisque nostræ teneritati, si quæ surreperint, indulgeat, cuius ulteriori favori nos permittimus, atque commendamus.

COROLLARIA.

- 1) Ad literarum pertractanda studia, lege quadam naturali, Viri quidem, sed non foeminae obligantur, quæ infelicitèr soepius ea sectari solent.
- 2) An monopolia in Rebus publicis sint toleranda quaeritur? nos negamus.
- 3) Homo sibi ipsi nocere subinde jure potest, etiamsi & vitam & corporis integritatem servare tenetur.
- 4) Omnis gentilium Cultus DEorum ἀλογος est.

FINIS.





Farbkarte #13

B.I.G.

Q. N.  
385  
16.

II n  
1466

SPECIMEN  
DISSERTATIONIS HISTORICÆ,  
DE  
PRISCÆ GERMANIÆ  
POPULIS,  
AB  
HISTORICORUM QVORUNDAM  
OPPROBRIIS  
VINDICATIS,  
QVAM  
PRÆSIDE  
M. GEORG. Schrenkr. BEHRNAUERO,  
GYMNAS. BUD. RECTORE.  
D. MART. AN. MDCCCXIII.  
HOR. VIII. MATUTIN.  
COMMILITONUM ΣΥΖΗΤΗΣΕΙ  
SUBJICIT  
F. G. A. de WARNSDORFF,  
EQV. LUSAT.

BUDISSÆ, LITERIS RICHTERIANIS.

